MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80211-12

AUTHOR:
LOHRER, JOSEPH

TITLE:
DE C. JULIO VERO MAXIMINO ...

PLACE:
MONASTERII

DATE:
1883

Master Negative #
91-80211-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
874
Z8      Löhrer, Joseph, 1860-
v.6       De C. Julio Vero Maximino Romanorum imperatore
        ...  Monasterii, ex typographia Krickiana, 1883.
          43 p.   21 cm.

          Thesis, Munster.

8
Box 31    Another copy.

183556
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 MM REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-12-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

C. JULIO VERO MAXIMINO

ROMANORUM IMPERATORE.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XX. MENSIS IANUARII A. MDCCCLXXXIII

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

JOSEPHUS LOEHRER

AQUENSIS.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA KRICKIANA.

MDCCCLXXXIII.

PATRI IVBILARI

PER DECEM LUSTRA MAGISTRI PUBLICI
MUNERE FUNCTO

AD CELEBRANDUM

INSTANTEM DIEM FESTUM

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

JOSEPHUS FILIUS.

I.

Pars prior.

A Septimii Severi temporibus potentia et auctoritas militum Romanorum magis magisque auctae, imperatorum deminutae sunt. Alexandro Severo imperante ad tantam iam audaciam progressi erant milites, ut, cum ipse adesset, Ulpianum, eius amicum praefectumque praetorio, trucidarent [1]). Quid, quod omissa illa seditione ab Ovinio Camillo conflata, quam Lampridius [2]) falso [3]) narrat, quattuor nobis occurrunt, qui a militibus adiuti adversus ipsum imperatorem coniurationes fecerunt: Sallustius, Uranius, Seleucus, Taurinus [4])? Quae, quamquam omnes ab Alexandro Severo oppressae sunt, tamen militum animos adeo in dies ei infestiores reddiderunt, ut nova seditione mota imperium et vitam amitteret. Cuius seditionis variae apud rerum scriptores causae afferuntur, quae utrum verae essent necne, Daendliker [5]) satis disquisivit, cui imperator maxime ea de causa interfectus esse videtur, quod nimia severitate in mi-

1) Cass. Dio 80, 2, 2. Zosimus (ed. Bonn.) pag. 17.

2) Lamp. in vita Alex. Sev. cap. 48 (Script. hist. Aug. rec. H. Peter Lips. MDCCCLXV).

3) Muche: De imperatore M. Aurelio Severo Alexandro pag. 29. O. Porrath: Der Kaiser Alex. Sev. p. 35.

4) Laterculus Polemii Silvii ed. Mommsen (Abhdl. der sächs. Ges. der Wissenschaften phil.-hist. Abt. II. pag. 243; 245).

5) Die drei letzten Bücher Herodians p. 226 (Büdinger: Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte III).

lites usus sit. Sed quamquam negari non potest, Alexandrum nonnunquam strenuam disciplinam militarem adhibuisse, tamen scriptores in his rebus describendis modum excessisse mihi videntur, cognomen Severi propter severitatem ei datum esse putantes [1]). Nam, ut alia omittamus, causam multo maioris momenti apud Herodianum invenio, qui milites moleste tulisse refert [2]), quod Alexander res tam parum fortiter ac viriliter tractasset, ut nonnullis proeliis factis Germanos Romanis haud impares esse ratus oratores ad illos mitteret, qui foedera pacemque auro emerent, omniaque quibus illi indigerent, sese praebiturum esse pollicerentur [3]). Itaque milites ne bellum sibi dedecori verteretur, Alexandrum occiderunt et virum fortem reique militaris peritissimum imperatorem declararunt: Maximinum.

Sunt, qui Maximinum imperatore Alexandro Severo vivente rerum potitum eiusque caedis auctorem fuisse putent [4]), cui opinioni equidem non assentior. Nam primum quidem omnium scriptorum de hac re disserentium unus ille Herodianus, eumque secuti Zosimus et Zonaras, scelus illud Maximinum commisisse affirmant. Altera causa accedit, quod multi scriptores, quamquam Maximinum nequaquam omni culpa vacasse dicunt, tamen eo quod huius sceleris minime eum accusant, satis demonstrare mihi videntur, eum re vera facinoris illius participem non fuisse [5]). Ipse Capi-

1) Lampr. vit. Al. c. 12, 4; Aurelius Victor Caes. XXIV.

2) Herodiani ab excessu divi Marci libri octo ab Imm. Beckero recogniti Lips. MDCCCLV VI, 7, 9; VII, 1, 6.

3) Idem senserunt Cedrenus (ed. Bonn.) p. 450. Zonaras (ed. Dindorf) p. 122, 20. — Niehues: Geschichte des Verhältnisses zwischen Kaiserthum und Papstthum im Mittelalter I, 117. — Hertzberg (Oncken) Geschichte des römischen Kaiserreiches p. 545.

4) Gibbon (Sporschil): Geschichte des Verfalls und Untergangs des röm. Weltreiches p. 135. Tillemont: Histoire des empereurs, (Paris MDCCII) III, p. 220; Crevier: Hist. des emper. Romains. (Paris MDCCLXVI) X, p. 119.

5) Aurel. Vict. Caes. XXIV et XXV; Eutrop. Brev. IX, 1. M. G.

tolinus, quem in vita Maximini describenda nihil praetermisisse constat [1]), quod famae nominique eius turpitudinem infligeret, tantum abest, ut eum caedem illam commisisse dicat, ut rem in medio relinquat aeque ac Lampridius, qui Alexandrum imperatorem a Maximino interfectum esse affirmare dubitat [2]). Herodianum autem in hac potissimum re enarranda omni fide carere Daendliker [3]) perspicue demonstravit, quam ob rem ceteros, quos attuli scriptores, sequamur necesse est.

Ut res ipsas diiudicemus, sententiam nostram falsam non esse vel inde apparet, quod senatus Romanus, qui Maximino quocunque modo obtrectaverit maximisque criminibus arguerit, nunquam eum Alexandri necis ne insimulavit quidem. Ut denique Maximinus Alexandrum occidisset, nonne mirum est, quod antea ne Macrino stipendia faceret recusavit, quod illo auctore Caracalla imperator interfectus esset [4]), et postea militem, cui nomen erat Macedonius, capitis damnavit, quod amicum suum prodidisset [5]), cum Maximinus ipse summa familiaritate Alexandri Severi usus eiusdem sceleris reus fuisset?

Quae cum ita sint, Maximinum Alexandri interfecti insontem, a militibus scelere iam commisso adductum esse contendo, ut summam rerum susciperet, ita quidem, ut primum milites, qui in Pannonia et Thracia nati in castris

h. auct. antiquiss. II p. 150. Hieronymus (ed. Schoene) ad ann. 2251. Orosius XVIII; Jordanis Romana ét Getica M. G. h. auct. antiquiss. V p. 36, 280 et p. 78, XV. Syncellus (ed Bonn.) I p. 675; Chron. Pasch. I, 501; Glycas p. 453.

1) Brocks: de quattuor prioribus historiae Augustae scriptoribus p. 47. — Dreinhöfer: de fontibus et auctoribus vitarum quae feruntur Spartiani, Capitolini, Gallicani, Lampridii p. 35.

2) Cap. vit. Max. d. 7, 4; 8, 1; Lampr. Alex. Sev. 59, 6 et 7.

3) l. c. p. 229.

4) Cap. Max. 4, 4; Jord. XV.

5) Herodian. VII, 1, 11; Cap. Max. 11, 5.

erant[1]), quibusque esset carissimus, eum purpura imperatoria circumdarent, deinde et ceteri eum Augustum appellarent.

Quam rem Herodianus, qua est copiosa loquacitate, tractavit et additamentis quibusdam, quae nescio an ad alia tempora spectent, exornavit[2]).

Quo loco res illae factae sint, accurate dici non potest, cum scriptores ipsos, ubi situs esset, ignorasse apertum sit. Id tamen inter omnes fere constat, prope Moguntiacum oppidum evenisse. Apud Lampridium quidem in vita Alexandri scriptum invenimus[3]): „denique agentem eum cum paucis in Brittania, ut alii volunt in Gallia, in vico, cui Sicilia nomen est . . . occiderunt." Cuius loci cum praeter Aurelium Victorem[4]) alii rerum scriptores mentionem non faciant, viri docti in vico, cui hodie Bretzenheim, apud veteres vicus Britannicus nomen est, Alexandrum trucidatum esse suspicati sunt[5]).

Haec omnia facta esse verisimile est initio mensis Februarii[6]). (d. X m. Feb. a. CCXXXV).

Quoniam igitur quo modo, quo loco, quo tempore Alexander mortuus, Maximinus Augustus factus sit, cognovimus, iam qui sit ille Maximinus, quid gesserit, quibus fuerit moribus, inquirendum est.

1) Herod. VI, 8, 3; VIII, 6, 1.

2) Daendl. (l. c. p. 232) Herodiani animo Decii imperatoris tempus observatum fuisse ratus errare mihi videtur probandaque F. Aug. Wolfii sententia, qui (praef. ed. p. XXXII) Herodianum Gordiano III imperante historiam composuisse demonstravit. Itaque Herodianum Gordiani I potius electionem in Maximinum transtulisse puto, praesertim cum de illa accuratissime certior factus esse videatur.

3) v. Alex. Sev. 59, 6.

4) Caes. XXIV.

5) E. v. Wietersheim (Dahn): Geschichte der Völkerwanderung Lpz. 1880. p. 185. Porrath l. c. p. 60.

6) De quaestionibus chronologicis, in quibus et scriptores veteres et recentiores mirum quantum inter se dissentiunt, sub finem dissertationis uno tenore agemus.

Atque primum quidem non ambigitur, quin Maximinus hoc nomen acceperit eo tempore, quo rebus militaribus operam praestare coeperit. Nam antea nomen Romanum ei defuisse ex parentum nominibus apparet, quorum alteri (patri) Micca, alteri (matri) Hababa nomen erat[1]). Quod nomen patris ex adiectivo, quod est „mikils" ducendum esse, Dahn si suo iure suspicatus est[2]), Maximini nomen nihil aliud, nisi interpretatio nominis patris esse videtur, quo nomine Maximinus eo magis dignus erat, quod ipse ingenti magnitudine et proceritate corporis fuisse dicitur[3]). Imperator autem factus C. Julius Verus Maximinus appellari voluit; filio eius, ex Paulina[4]) uxore nato, qui utrum iam primo imperii initio an postea Caesar factus sit, incertum est, C. Julius Verus Maximus[5]), non ut Capitolinus et Aurelius Victor dicunt, Maximinus nomen erat, quae nomina permulti nummi[6]) et inscriptiones[7]) exhibent.

Quo tempore et quo loco Maximinus natus sit, incertum ac dubium est. Quod in Chronico Paschali et apud Zonaram Maximinum sexaginta quinque annos natum mortuum esse scriptum invenimus, a veritate abhorrere videtur. Nam res ab eo gestae et imagines[8]) et statua[9]) eius viri fortis, non senis sunt. Praeterea illo anno, quo Septimio

1) Cap. Max. 1, 6, Jord. l. c. p. 281.

2) l. c. p. 186 a.

3) Cap. Max. 2, 2; 6, 8; 28, 8.

4) Paulinam Maximini uxorem fuisse inter omnes fere scriptores recentiores constat; de qua uxore Ammianus Marcell. XIV, 1, 8.

5) De hoc nomine Brocks l. c. p. 58.

6) Eckhel: Doctrina num. vett. VII Cohen: Description historique des monnaies frappées sous l'empire Romain t. IV.

7) Orelli-Henzen 963, 964 . . .
Mommsen C. J. L. II 4731, 4756, 4757, 4758, 4816, 4826, 4834, 4853 . . . . .
V 5123, 5543, 5545, 5866, 5870, 6087, 6687, 7989 . . . . .

8) Vaillant: numismata imperat. Rom. Cohen l. c.

9) Weisser: Bilderatlas zur Weltgeschichte tab. 42.

Severo stipendia facere coepit, a Capitolino[1]) peradulescens appellatur. Erat autem ille annus ducentesimus secundus p. Chr. n.[2]) Itaque si illis scriptoribus fides habenda esset, anno ducentesimo secundo iuvenis viginti novem annorum fuisset, quippe qui anno p. Chr. n. ducentesimo tricesimo octavo mortuus est. At hominem tantae aetatis peradulescentem haberi non decet Itaque Tillemontio[3]), qui eum annos quinquaginta quinque natum interfectum esse censuit, assentiamur putemusque anno centesimo octogesimo tertio eum natalem habuisse.

Quod ad originem Maximini attinet, vulgo Thrax vocari solet, quia e vico Thraciae et quidem intimae ortum esse Herodianus narrat[4]). Sed hic rerum scriptor cum, ut fieri solebat, omnes gentes citra Danubium fluvium aequo modo Thraces appellet[5]), incertum est, utrum Maximinus in ipsa provincia Romana, cui nomen erat Thraciae, natus sit necne; mihi quidem ibi non natum eum esse ex Capitolini verbis apparere videtur, qui eum in vico, quo natus erat, cum Gothis mercaturam fecisse dicit, quem vicum prope ripam barbaris vicinum fuisse ex ipsius verbis apparet[6]). Dubitari autem non potest, quin ripa illa nullis additamentis nominata Danubii ripa sit (sicut „Dacia ripensis“). Quae cum ita sint, patriam Maximini Moesiam esse puto, inter Danubium et Haemum sitam. Quae sententia ne testimonio scriptoris careat, Syncellum afferamus, a quo Maximinus *Μυσός* appellatur[7]), quamquam idem scriptor alias, ubi de Thraciae incolis sermo est, verbo utitur *Θρᾷκες*[8]).

1) Max. 3, 6.
2) Clinton: Fasti Romani ad hunc annum.
3) III p. 218.
4) VI, 8 1. τὸ μὲν γένος τῶν ἐνδοτάτω Θρᾳκῶν καὶ μιξοβαρβάρων.
5) Herod. VIII, 6, 1.
6) Cap. Max. 1, 5; 4, 4–6.
7) Sync. I p. 681 ἐπὶ Μαξιμίνου τοῦ Μυσοῦ.
8) I p: 631.

Accedit quod Herodianus Septimium Severum ex Oriente Romam redeuntem in Moesia aliquamdiu mansisse rettulit[1]), quo tempore factum est, ut Maximinus exercitui Romanorum insereretur[2]).

Quodsi Maximinus vere in Moesia natus est, multo magis e gente Getarum quam Gothorum, quod Capitolinus putat, videtur esse, praesertim cum Gothi et Getae, quasi idem sint, a scriptoribus persaepe confundantur, deinde quia Getas ibi habitasse, Gothos autem non prius Danubium traiecisse constat quam circa annum ducentesimum decimum quintum[3]). Maximinus autem cum, ut supra iam demonstravimus, triginta fere annis ante hoc tempus natus esset, fieri non potuit, ut Gothorum esset, nisi forte patrem Maximini cum turba quadam Gothorum iam multo ante in illos regiones pervenisse putamus. Tum Capitolinus Maximinum cum Gothis commercia fecisse dicit, unde efficitur, populum ipsi peregrinum fuisse. A Getis vero, ut ait idem ille scriptor, amatus est unice quasi eorum civis[4]), quo dixit, illos eum, quamquam ad id tempus in exercitu Romanorum stipendia meritus esset, pro cive habuisse et benigne suscepisse, Alani autem amicum eum adprobarunt. Commemorat autem rerum scriptor has potissimum gentes, ut aeque ac capite primo significet originem Maximini et paternam et maternam, etsi concedendum est, causam illam, cum perpauca illa et exilia tantum de ea exstent testimonia, diiudicari non posse.

Neque minus quae de Maximini iuventute memoriae traduntur, tenebris circumfusa latent. Nonnulli scriptores dicunt, eum obscurissimo loco natum prima pueritia pastorem[5]), fuisse, deinde sola corporis magnitudine ingentibusque

1) III, 10, 1.
2) Cap. Max. 2, 3. Jord. XV.
3) Wietersheim (Dahn) pag 158 excurs. II p. 597 s.
4) Cap. Max 4, 4.
5) Herod. VI, 8, 1 πρότερον μὲν ἐν παιδὶ ποιμαίνων. Cap. Max. 2, 1 et in prima quidem pueritia fuit pastor.

viribus eius factum esse, ut in exercitu Romanorum maiora semper munera amplecteretur, quod equidem non probaverim. Maximinus enim, cum Capitolinus talem eum fuisse narret, qui „latronibus insidiaretur et suos ab incursionibus vindicaret“ inter suos principatum quendam tenuisse mihi quidem videtur. Tum Septimium Severum, Romanorum imperatorem, cum illas in regiones venisset et diem natalem Getae filii ludis militaribus celebraret, statim adiit petivitque ab eo „publice ut sibi daret licentiam contendendi cum iis, qui iam non mediocri loco militarent.“ Quo concesso cum certamine inito fortissimum quemque superaret, imperator summis praemiis eum donavit, in numerum stipatorum corporis equitantium [1]) recepit, denique eum quamvis adulescentem quocunque modo potuit amplissimo honore ornavit [2]).

Neque minus eorum qui secuti sunt imperatorum favore et familiaritate semper usus est. Nam a Caracalla imperatore centurio, ab Elagabalo tribunus factus est, cui tamen ut homini obsceno militare noluit. Alexander Severus autem eum tanti aestimavit, ut lati clavi honore eum dignum iudicaret [3]) et omnibus tironibus, postremo, si quidem Capitolinum auctorem sequi licet, vel omni exercitui praeficeret [4]). Quo imperante in bello contra Parthos dux factus magna belli gloria floruit [5]). Quin etiam Alexander in eo erat, ut Theocliam sororem Maximo, Maximini filio, in matrimonium daret [6]). Quae omnia si animo reputamus, facere non possumus, quin eum tam humili loco natum, tamque vulgarem

1) Non solum Capitolinus (2, 1) et Jordanes (XV) eum equo meruisse tradunt, sed etiam narratiunculae de vi eius (Cap M. 6, 9) ad militiam equestrem pertinent.

2) Capitol. Max. 3, 6.

3) Capit. 4, 4—9; 5, 1—7.

4) Cap. 7, 1.

5) Herod. VII, 8, 4; Jord. XV „contra Parthos mirabiliter dimicavit.“ In inscriptione (Orelli 964) Parthicus Maximus appellatur.

6) Cap. Max. 29, 2.

hominem fuisse, quam plerique scriptores veteres eosque recentiores secuti dicunt, negemus.

Imperii autem Maximini, qui a militibus omnibus imperator appellatus esset, senatores auctores fieri recusaverunt [1]), quamquam eum propter virtutem et rei militaris peritiam bellum contra Germanos exortum si quisquam secundo eventu gesturum esse nemo ignorabat. Id enim senatores, quorum auctoritas ab Alexandro valde aucta erat [2]), spectabant, ne summa rerum in imperatoris potestate esset ipsique ex eius arbitrio penderent, sed ut principem in imperio tenerent. Itaque nihil antiquius habebant, quam ut Maximinum, quem ipsorum auctoritati non obnoxium fore scirent, quocunque modo possent, opprimerent et ad virum, qui idem atque ipsi sentiret, imperium transferrent. Quin etiam tantum eorum in hunc imperatorem odium erat, ut Romanos deos supplices orare et obtestari iuberent, ut quominus Romam veniret, impedirent [3]). Quid, quod in castris Magnus quidam, vir nobilissimus et consularis [4]), contra imperatorem coniurationem fecit, cuius multi centuriones et omnes senatores, qui affuerint, participes fuisse, Herodianus tradit? [5]) Qui Magnus ad tantam audaciam progressus est, ut Maximinum, cum Rhenum flumen traiecisset, ponte interrupto reditu intercludere et pessumdare animo constitueret. Sed coniuratio nullam vim et auctoritatem adepta brevi patefacta est. Romani autem, cum Maximinus coniurationis participes statim interfici iussisset, coniurationem

1) Capitol. Max. 8, 1; Eutrop. IX, 1; Oros. VII, 19.

2) Josten: Die politische Stellung des römischen Senats zu den Kaisern im 2. und 3. Jahrhundert n. Chr. p. 23.

3) Cap. M. 8, 6.

4) Herod. VII, 1, 5 Μάγνος τις ὄνομα ἦν τῶν εὐπατριδῶν τε καὶ ὑπατευκότων Cap. M. 10, 1.

5) Herod. VII, 1, 4 πολλῶν τε ἑκατοντάρχων συμπνεόντων καὶ τῶν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἁπάντων.

ab imperatore ipso fictam esse rumores sparsisse mihi videntur [1]).

Altera autem coniuratio facta est a militum parte [2]). Osroeni enim sagittarii, quibus Alexandri mors gravissimo dolori erat, amicum eius Titum Quartinum, virum nobili loco natum [3]), quamquam invitum, imperatorem fecerunt. Trebellius Pollio imperasse eum dicit menses sex, quod falsum esse constat [4]). Nam neque mummi Quartini imagines exhibentes exstant [5]), neque chronographus [6]), qui vel brevius imperium commemorat [7]), illius in tabulis mentionem fecit.

Utcunque res se habet, Macedonius, amicus eius, noctu eum interfecit, interfecti caput Maximino, cui gratissimum id fecisse rebatur, tradidit. Quod speraverat, amplissimum caedis praemium se esse consecuturum, non evenit; nam Maximinus eum, cum amici proditor factus esset, extremo supplicio affici iussit.

Quibus coniurationibus ad irritum redactis senatores non amplius recusaverunt, quominus Maximinum pro imperatore haberent, periculosum, ut ait Aurelius Victor [8]), existimantes, inermes armato resistere. — Deinde bellum contra Germanos paravit. Illi enim ex Caracallae tempore quieti [9]), cum omnes fere copiae ab Alexandro Severo ad

1) Capitolinus eum plus quattuor milibus hominum occisis se satiare non potuisse infeste addidit.

2) Herod VII, 1, 9–12; Cap. M. 11.

3) Herodianus eum virum consularem, Trebellius Pollio (trig. tyr. Titus) tribunum Maurorum fuisse tradit. Daendl. l. c. p. 239.

4) Tillemont (III p. 484) et Crevier (X p. 145) eum imperasse suspicati sunt dies sex.

5) Eckhel l. c. VII. p. 299; Cohen IV, p. 106.

6) Th. Mommsen: Abhandl. der königl. sächs. Ges. d. Wiss. phil.-hist. Klasse I, p. 547—668, 1850.

7) Velut Othonis, Pertinacis, Gordianorum, Maximi et Balbini, Floriani.

8) Caes. XXV.

9) Wietersheim (Dahn) pag. 183.

bellum contra Persas gerendum imperati essent, subito in fines Romanorum invaserant omnibusque terrorem ac metum iniecerant [1]). Quos ut devinceret, iam Alexander permagno exercitu, cui Maurorum et Parthorum iaculatores et sagittarios iunxerat, coacto Moguntiacum profectus erat et milites Rhenum ponte iungere iusserat. Alexandrum autem, priusquam pons confectus est, milites occiderunt [2]). Maximinus igitur, cum belli gerendi causa imperator factus esset, statim ponte confecto copiis etiam auctis Rhenum transiit et in Germaniam ingressus est. Germani cum tantis viribus impares se esse cognovissent, primum in silvas et paludes sese receperunt, ita ut Maximinus nullo resistente agros segetesque depopularetur, omnes vicos et aedificia incendenda et diripienda militibus traderet, omnia denique quae rapuerant pecora iis permitteret [3]). Tum ex silvis interdum subito prorumpentes eruptiones in hostes fecerunt et proelio certarunt. Romani autem prospera fortuna utebantur et imperatoris ipsius virtute inflammati, a Germanis magnam victoriam reportaverunt. Imperator igitur, qui sibi conscius esset, se res in Germania secundo eventu gessisse, ad senatum Romanum litteras misit, quibus quod consecutus esset, nuntiaret [4]), magnamqne tabulam, in qua ipse cum Germanis in palude dimicans conspiceretur [5]), pingi et ante curiam poni iussit.

Cum Sarmatis quoque et Dacis haud iniquo Marte pugnasse videtur, cum non solum Germanicus Maximus, sed

1) Herod. VI, 7, 2; Capit. Al. Sev. 59, 3.

2) Becker: Die Rheinübergänge der Römer bei Mainz (Annalen des Vereins für Nassauische Alterthumskunde Band 10.)

3) Herod. VII, 2; Cap. Max. 11; 12.

4) Cap. Max. 12, 6: Non possumus tantum, p. c., loqui quantum fecimus. per quadraginta vel quinquaginta milia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captivos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnavimus. pervenissemus ad silvas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset. Cap. Max. 13, 2.

5) Herod. VII, 2, 8; Capitol. M. 12, 10.

etiam Sarmaticus Maximus et Dacicus Maximus appelletur [1]), Herodianus et Capitolinusque Sarmatis quidem cum bellum intulisse commemoraverint [2]). De Dacis vero ab eo debellatis nihil apud scriptores invenimus.

Quin etiam Maximinus omnes gentes barbaras usque ad Oceanum Romanis subigere in animo habebat, quod consilium, ut mihi videtur, quantum Maximinus in rebus bellicis valuerit, optime docet [3]).

Quomodo et quo tempore [4]) iter fecerit, in dubio est, cum illud tantum pro certo notum sit, eum prope Moguntiacum ineunte aestate [5]) anni CCXXXV Rhenum traiecisse et Sirmii sub finem anni CCXXXVII hibernasse [6]).

1) Germanicus et in nummis et in inscriptionibus (ex anno CCXXXVI), Sarmaticus et Dacicus in inscriptionibus tantum (ex anno CCXXXVII) appellatur.

2) Herod. VII, 8, 4; Cap. Gord. 14, 1; Max. 13, 3 Capitol Maximinum contra Sarmatas bellum parasse dicit.

3) Herod. VII, 2, 9.

4) Pagi (Critica Baroniana I, 218) bellum iam anno CCXXXV, Schaubert (De Maximino imperatore c. VIII Atdorfii 1741) anno CCXXXVI confectum esse rati errasse mihi videntur.

5) Herod. VII, 2, 3 τῶν λῃίων ἀκμαζόντων.

6) Wietersheim (Dahn) I p. 191 expeditionem Maximini hoc modo factam esse suspicatus est: „Der erste Feldzug im Sommer 235 werde gegen die Westgermanen bis gegen die Werra hin, der der Jahre 236 bis 237 aber, vielleicht nach Verheerung der alamannischen Ansiedlungen im südlichen Zehntlande, besonders gegen die Alamannen und die angrenzenden Völker in Franken, der Oberpfalz, Nordschwaben und Niederbaiern gerichtet gewesen sein, wobei denn etwa bei Regensburg (Reginum) oder Passau (castra Bavatorum) 236 bis 237 überwintert wurde." – Becker l. c. p. 178 Hertzberg (Oncken) Geschichte des römischen Kaiserreiches p. 547.

II.

Pars altera.

Senatus Romanus cum necessitate et timore perductus esset, ut Maximinum pro imperatore haberet, tantum aberat, ut rebus ab eo in Germania gestis, quibus optime de re publica meritus erat, paulatim placaretur, ut primo quoque tempore oblato ab eo deficeret.

Erat Thysdri, quod est oppidum in Africa prope Carthaginem situm, fisci procurator, quem Herodianus summa crudelitate in civibus damnandis exigendisque pecuniis usum esse dicit [1]). Qui cum, qua erat avaritia, iuvenes quosdam nobiles et opulentos bonis paternis et avitis privare studeret, illi omnem salutem in vi positam rati coniuratione facta eum trucidarunt, neque prius, ut est hominum mos, quam scelus commiserunt, quae mala sibi inde redundatura essent, intellexerunt.

Nam cum procuratorem interfecissent, simul ab ipso imperatore defecerant, quem gravissimum supplicium de coniuratis sumpturum haud ignorabant. Quod periculum cum effugi non posse iis esset persuasum, nisi omnium, qui in Africa provincia erant, animos ad seditionem incitarent, dissensione, quae erat inter senatum et Maximinum, usi sunt et M. Antonium [2]) Gordianum [3]), hominem nobilissimum [4]),

1) Herod. VII. 4 s. Cap. M. 14 s. Gord. 7 s.

2) Mommsen C. J. L. V, 3112; 5124 . . .

3) de cognomine „Africanus" Daendl. p. 250.

4) Herod. VII, 5, 2; Gord. 2, 2.

et qui senatui faveret eoque auctore proconsul Africae factus esset, imperatorem renuntiare statuerunt[1]). Erat autem Gordianus iam octoginta annos natus. Rebus igitur in magno concilio satis peractis[2]), domum proconsulis adierunt eumque, cum ne imperator fieret recusaret, gladiis destrictis coegerunt, ut summam rerum susciperet. Quae initio mensis Aprilis anni CCXXXVIII facta esse infra demonstrabo. Gordianum autem veritum, ne a Maximino morti traderetur, sua ipsius sponte imperium arripuisse — nam id si fieri voluisset Maximinus, iam antea iussisset — adeo non credo, ut potius assentiar Herodiano aliisque scriptoribus, qui eum ut imperatoris nomen usurparet, coactum esse tradunt[3]).

Erat enim munus illud periculorum plenissimum, praesertim cum Maximinus viveret, quem, cum magnis fortissimisque copiis adiuvaretur, superiorem decessurum ne audacissimo quidem incertum videbatur. An Gordianum, hominem octogenarium et pertimidum id non animo reputasse existimamus? Coniuratorum autem permultum intererat, Gordianum in Africa provincia quasi principatum tenentem causam secum communicare.

Quodsi non desunt, qui Gordianum ab exercitu[4]) Africano imperatorem electum esse tradant, equidem illos rerum scriptores id egisse puto, ut seditio, ubi primum orta esset, maximi momenti fuisse videretur. Quam eorum sententiam cur improbem multae sunt causae. Atque primum quidem in Africa, cum esset populi, non principis provincia, exercitus

1) Herod. VII, 5, 1. οὕτω δὴ προχωρήσαντος τοῦ ἔργου, οἱ νεανίαι . . . . Cap. Gord. 8 nisi facto imperatore salvi esse non possumus. Cap. Max. 14, 2.

2) Daendl. p. 245, 246.

3) Herod. VII, 5; Cap. M. 16: Invitum me, p. c., iuvenes, quibus Africa tuenda commissa est, ad imperium vocarunt. sed intuitu vestri necessitatem libens sustineo. — Zonaras (Dind.) XII, 16 p. 125.

4) Cap. Max. 13, 6; Gord 7, 2; Aur. V. Caes XXVI Entrop. IX, 2.

non erat[1]); deinde Herodianus[2]) plurimis locis nullas in Africa copias fuisse dicit eosque qui a Gordiani partibus stetissent, qua quisque re posset, securi, pugione, aliis armis usos esse. Accedit, quod ex ipsius Capitolini verbis, ubi fontes accuratius sequitur, iuvenes tantum coniurationis participes fuisse apparet[3]).

Gordianus igitur cum necessitatem effugere non posset, imbecillitatem imperii, quod adeptus erat, splendore tegere studuit[4]). Maximini igitur statuis deiectis, imaginibus a seditiosis perfractis, Thysdro Carthaginem petit comitante, ut Herodianus dicit, omni pompa imperatoria: iuvenes, quorum fasces laureati erant, stipatorum more eum prosequebantur, ignis sacer praeferebatur. Quo cum pervenisset filiumque Aelium[5]) Antonium Gordianum, hominem ut iuris peritum ita pravum moribus, imperii administrandi socium sumpsisset[6]), id potissimum sibi agendum esse cognovit, ut senatum populumque Romanum sibi conciliaret. Itaque legatos Romam ad senatum misit, qui res in Africa gestas nuntiarent litterasque traderent, quibus senatui se subiecturum esse promisit[7]). Permulta praeterea et gravissima pollicitus est: benigne et clementer sese imperaturum, actiones iniuste condemnatorum instauraturum, exsules in patriam revocaturum. Populo ingens congiarium militibusque tanta donativa, quanta ad id tempus nullus imperator, promisit[8]).

1) Puchta: Geschichte des Rechts bei dem römischen Volke p. 215.

2) Her. VII, 4; VII, 8, 5 τίνι θαῤῥοῦντες στρατῷ, παρ' οἷς ἐς τὴν τοῦ ἡγουμένου ὑπηρεσίαν ἀρκοῦσι ῥαβδοῦχοι; VII, 9.

3) Cap. M. 14; Gord. 9, 3; 11, 5; 16.

4) Herod. VII, 6.

5) Lampr. Al. 68, 1; Cap. Gord. 17 ss.

6) Cap. Gord. 9, 6.

7) Cap. M. 16, 2 . . . . nam ego usque ad senatus iudicium incertus et varius fluctuabo.

8) Cap. Gord. 10, 4; Aur. Vict. Caes. XXVI Herod. VII, 6, 4 τοῖς δὲ στρατιώταις ὑπέσχετο ἐπίδοσιν χρημάτων ὅσην οὐδεὶς πρότερον.

Gordianus autem haud ignorans, Romanos non aperte ad se defecturos esse, quamdiu Vitalianus, praefectus praetorio, unus ex Maximini amicis, Romae esset, eum nonnullorum senatorum, quos de rebus in Africa gestis certiores fecerat, auxilio fretus, dolo occidi iussit [1]). Quae omnia Herodianum suo more exornasse Daendliker demonstravit [2]). Gordianorum autem imperium viginti duos dumtaxat dies permansisse videtur [3]). Capelianus enim, vir ordinis senatorii, et qui Numidiae praeerat, a Gordiano, qui iam dudum ex disceptatione forensi animo iniquo in eum esset, provincia decedere et rem administrandam successori a Gordiano dicto tradere iussus est. Capelianus vero, hac re indignatus et Maximino devotissimus amicus, contra Gordianum bellum parabat, quod quomodo evênturum esset, non erat incertum. Nam cum Capeliano permulti essent milites bello assueti, rei militaris peritissimi, omni armorum genere instructi, Numidarum praeterea equitibus sibi adiunctis, facile Carthaginienses, qui illa aetate in rebus bellicis minime versati essent, devicit, praesertim cum, ubi primum proelium initum est, nihil antiquius haberent, quam ut arma abicerent praecipitesque fugae se mandarent. Capelianus autem et milites, qui cum eo erant, eos persecuti urbem ingressi sunt, qua expugnata magna caedes facta, templa despoliata, pecuniae publicae et privatae direptae sunt [4]). Tumultu autem sedato ac rerum perturbatione sublata Gordiani iam e vita excesserant. Gordiani filius, Carthaginiensium dux factus, in proelio occisus erat. Quod cum Gordiano I. una cum nuntio,

1) Senatus iussu eum interfectum esse non puto, quia Herodiano (VII, 6, 9) et Capitolino (Max. 14, 4) auctoribus litterae Gordiani postea senatui traditae sunt, quam Vitalianus occisus est.

2) Daendl. l. c. p. 251.

3) cfr. quaestiones chronologicae.

4) Herod. VII, 9; Cap Max. 19; Gord. 15.

Capelianum victorem urbem ingressurum allatum esset, salutis suae desperans laqueo se suspendit [1]) [2]).

Quae cum ita sint, Gordiani nullo modo de re publica Romanorum meriti esse videntur, neque seditio illa aliud quidquam effecit, nisi ut senatus Romanus a Maximino deficere auderet. Nihilo minus Capitolinus Gordianos laudibus quam maximis effert. Quid mirum? Cum Maximini nomini notam turpitudinis affigere studeat, qui aliter fieri potuit, quam ut adversariorum eius virtutum praeco fieret [3])? Accedit quod Capitolinus in Gordianorum vita describenda Cordo potissimum usus est, cuius auctoritatem iudicio non adhibito sequi non licet [4]), deinde quod librum Constantino imperatori, qui illis ut Antoninorum propinquis favebat, dedicavit, denique quod Gordiani III gloriam et honorem in avum et avunculum transferendum esse putabat. Senatus vel adeo processit, ut eos, cum vita excessissent, in numerum deorum referret, unde [5]), et quantopere senatus Maximinum oderit, et quam perdita illa aetas fuerit, apparet.

Sed iam quid Romani, quid provinciales de hac seditione in Africa contra Maximinum orta senserint, videamus.

Ubi primum nuntius de rebus in Africa gestis Romam allatus est, senatus statim convenit, ut senatus consultum tacitum faceret. Sed quamquam plerique senatores laeto animo Gordianos imperatores habebant, non tamen omnes

1) Herod. VII, 9, 7; 9, 9. Cap Max. 19, 2; Gord. 15, 3; 16, 2. Euseb. (Schoene) Appendix I, 18.

2) Sunt, qui Gordianum I ante proelium exortum turpiter mortem sibi adscivisse dicant, quod tamen negandum esse putamus. Ddl. p. 258.

3) Uno loco (Gord. 21, 5) admiratione ita abripitur, ut Gordiani vocem Augusti imperatoris simillimam fuisse dicat.

4) Daendl. p. 248; exc. II, p. 311; Plew: Beiträge zur Quellenkritik der sc. h. Aug. (Progr. des Strassb. Lyc. 1878) p. 12: „Der Hauptcharakterzug des Cordus ist Unzuverlässigkeit im höchsten Grade." Dreinhöfer l. c. p. 12; 15; Teuffel (Schwabe) p. 894.

5) Cap. Gord. 16: quos ambos senatus Augustos appellavit et postea inter divos rettulit. Max. 24, 3.

rebus novis assensi esse videntur, cum consul, qui primus de his rebus verba fecit: Quid, inquiat, timide auditis, quid circumspicitis, quid cunctamini [1]? Deinde quamquam propter senatus consultum tacitum nemini nisi senatoribus adesse licebat, tamen nonnullis diebus post Maximinus exemplo illius consulti accuratissime quid senatus vellet, edoctus est [2]). Neque in populo Romano senatum magnam fiduciam posuisse, inde apparet, quod quaecunque mala Maximinus et in rem publicam et in privatos fecisset, in memoriam eius revocabat [3]). Quin etiam Maximinum mortuum esse rumores spargere non dubitaverunt [4]). Tum demum imagines statuasque eius deiecerunt magnamque seditionem moverunt, qua, ut fieri solet, non solum Maximini amicos, sicut senatui in animo erat, sed etiam eos, qui in forensibus causis erant adversarii, creditoresque suos trucidabant.

Provinciae aliae per nuntios a senatu missos ad defectionem commotae sunt, aliae Maximino fidem servaverunt [5]). Ne Italia quidem statim ad Gordianos transgressa esse videtur, cum senatus viginti [6]) viros rei militaris peritissimos per totam illam regionem divideret, qui eos, quorum fides erga senatum incerta esset, observarent et Italiam a Maximino defenderent.

Sed ad Maximinum redeamus necesse est. Qui cum Sirmii in hibernis commorans certior factus esset, in Africa Gordianos imperatores renuntiatos esse, Romae senatum ad

1) Cap. Gord. 11, 6.

2) Cap. Gord. 13, 1 omnia comperit Maximinus, ita ut exemplum senatus consulti taciti acciperet, quod nunquam antea fuerat factitatum.

3) Zosimus (ed. Bonn.) p. 19.

4) Herod. VII, 6, 9; 7, 1.

5) Herod. VII, 7, 6; Cap. Max. 15, 5.

6) Secundum unum locum apud Capitolinum (Max. 32, 3) viginti viros Gordianis interfectis electos esse putares, quod falsum esse alii loci docent. Cap. Gord. 10, 1; 14, 3; 22, 1; Zos p. 19; Daendl. p. 253, 2. Herodianus de his rebus silentium observavit.

eos defecisse et viginti viros Italiae ab ipso defendendae causa creasse, magnopere succensuit. Magnam igitur militum contionem convocavit, in qua senatum populumque Romanum vehementer accusavit, quod se, qui tot bella secundo eventu gessisset, quique civitatem Romanam ab incursionibus Germanorum et Sarmatarum tutam reddidisset, hostem publicum declarasset, imagines deiecisset, senem debilem imperatorem agnosset. Quae omnia apud Herodianum inveniuntur [1]), qui harum rerum certus est testis. Capitolinus in his rebus describendis, quanto odio in Maximinum inflammatus fuerit, apertissime ostendit. Nam verbis usus est hisce [2]): „Ubi hoc senatus consultum Maximinus accepit, homo natura ferus, sic exarsit, ut non hominem sed beluam putares. Iaciebat se in parietes, nonnunquam terrae se prosternebat, exclamabat incondite, arripiebat gladium, quasi senatum posset occidere, conscindebat vestem regiam, alios verberibus adficiebat, et nisi de medio recessisset, ut quidam sunt auctores, oculos filio adulescentulo sustulisset.“ [3])

Ut omittamus re ipsa hanc descriptionem falsam esse indicari, Tillemont [4]) id, quod ad filium quidem Maximini attinet, a veritate abhorrere ostendit et Daendliker [5]) quoque hanc Capitolini narrationem omni fide carere demonstravit. Plus auctoritatis inest orationibus [6]) Maximini, in quibus senatum ingratissimum vehementer reprehendit, quamquam Maximinum alteram quidem, in qua sermo est de Romulo et Caesare, habuisse verisimile non est; alteram habuisse putarem, nisi bis de viginti virorum electione verba fecisset.

Sed tantum aberat, ut Maximinus, quamquam valde

1) VII, 8.

2) Max. 17.

3) Rem ita fere descriptam etiam in vita Gord. c. 13, 4 invenies.

4) VII pag. 489.

5) p. 256.

6) Max. 18. Gord. 14.

iratus erat, statim Romanis bellum inferret, ut legatos ad senatum mitteret, qui omnium factorum veniam et oblivionem in perpetuum sancirent [1]). Qui cum repudiati essent, fieri non potuit, quin Italiae bellum inferre statueret.

Interea autem, cum nuntius de Gordianis victis et mortuis Romam allatus esset, senatorum animi magnopere perturbati sunt. Itaque cum Maximinus, quem non iam placari posse putabant, Italiae ferrum flammamque minitaretur, neque ipsi a seditione, quae suis artibus in dies creverat, desistere possent, statim concilio in aedem Concordiae [2]) [3]) convocato pro Gordianis alios principes eosque duos creare constituerunt. Herodianus, qui duos imperatores ea de causa creatos esse putat, quod senatores, ne potentia in tyrannidem rursus proveheretur, timerent, errare mihi videtur, causaque vera inesse Vecti Sabini senatoris verbis [4]), qui: „Faciendi, inquit, sunt principes, unus qui res domesticas, alter qui bellicas curet, unus qui in urbe resideat, alter qui obviam cum exercitu latronibus pergat [5]). Nam periculum duplex erat, alterum a veteranis in castris, sicut eventus docuit, alterum a Maximino ipso imminens. Itaque Sabinus e viginti viris imperatores proposuit M. Clodium Pupienum Maximum et Decium Caelium [6]) Balbinum [7]). Qui a senatu omnibus honoribus Augustorum affecti sunt. Quamquam nostrum non est, quinam fuerint

1) Cap. Gord 10, 3.

2) Cap. M. et B. 1, 1.

3) Herodianus cum de his rebus non satis edoctus sit, hoc concilium cum altero priori commutat dixitque (VII, 10) senatum in Capitolium convenisse. Daendl. p. 260.

4) Cap. M. et B. 2, 5; Herod VIII, 7, 6.

5) Josten (pag. 28.) hanc electionem ad rei publicae consulatum spectare censuit

6) Aurel. Vict. Caes. XXVI eum Caecilium appellavit.

7) Orelli-Henzen 967, 5527 . . .
Capitolinus eo quod multis locis, num Pupienus idem sit ac Maximus dubitat, se arte critica plane carere optime ostendit.

illi imperatores exponere, tamen dicam, Maximum obscuriore loco natum, rerum militarium peritissimum, magna belli gloria, Balbinum, virum nobilissimum, ingenio et doctrina superiorem fuisse [1]).

Principes, ubi creati sunt, in Capitolium se contulerunt, ut diis gratias agerent. Interea autem populus se a senatu in elegendis imperatoribus neglectum esse aegre ferens, magno tumultu commoto fustibus lapidibusque armatus imperatores novos imprimis Maximum, quem propter severitatem oderat, aggressurus erat. Principem e Gordiani genere sibi deposcebant, Gordianum III [2]), qui nepos Gordiani I ex filia fuisse videtur, ut, Herodiano quidem auctore, nomen imperatorium in illa familia illoque nomine remaneret [3]). Sed mihi quidem illum imperatorem postulasse videntur propter magnas divitias, ne congiariis illis a Gordianis I et II promissis privarentur [4]). Accedit, quod iam antea Gordianus adulescens Caesar designatus erat [5]).

Quomodo turbae sedatae sint, pro certo dici non potest, cum ea, quae apud Herodianum his de rebus inveniuntur, utrum vera sint, necne non satis constet. Nihilo minus dici potest, Gordianum III Caesarem a senatu declaratum esse, ita tamen, ut senatus, quasi coactus populi voluntati obsequeretur, non eum praevenisset. Deinde Maximo ad bellum contra Maximinum profecto, Balbino et Gordiano remanentibus magnae seditiones in urbe inter populum Romanum

1) Herod. VIII, 8, 4 utrumque nobilem, Eutropius IX, 2 utrumque humili loco natum falso tradiderunt.

2) De genere eius Daendl. p. 265. Orelli-Henzen 5529.

3) Herod. VII, 10, 6.

4) Aurel. V. Caes. XXVI Quippe Gordianus, postquam delatum sibi imperium cognovit, praemia amplum in modum ostentans, Romam legatos ac litteras destinaverat; quibus, necato eo, frustratos se milites angebantur genus hominum pecuniae cupidius, fidumque ac bonum solo quaestu.

5) Cap. Max. 16, 7; Gord. 22, 5.

et Maximini veteranos, qui illuc in castris erant, exortae sunt. Capitolinus, qui in his rebus narrandis plures fontes sequitur, plures seditiones ortas esse tradit, itaque rem etiam magis confudit[1]), quia Herodiano[2]) auctore tumultus Romae his de causis exarsit:

Maximini veteranos inermes subarmalibus tantum et sagis indutos una cum reliqua multitudine ad fores curiae accessisse, ut quid ageretur explorarent. Duos autem tresve milites ultra Victoriae aram in curiam ipsam intrasse, et a Gallicano et Maecenate senatoribus pugionibus percussos esse. Deinde Gallicanum gladium et manum cruentam ostentantem omnem populum adhortatum esse, ut omnes milites, Maximini amicos, trucidaret At rem ita se habuisse, quis est, qui putet? Nam cum haud multo ante senatus a Maximino defecisset eumque cum omnibus amicis hostes publicos trucidandos esse decrevisset, cogitari minime potest, Maximini veteranos inermes in urbe versatos esse, praesertim cum Herodianus omnes cives vel palam vel occulte arma gessisse dicat[3]). Itaque perpauci illi milites seditionis initium facere non potuisse mihi videntur, sed senatores ipsi id egisse, ut Maximini militibus, quos ne perniciem sibi afferrent timebant, e medio sublatis sine timore imperatorem, qui iam prope accedebat ad urbem, exspectare possent. Utcunque res se habet, militum castra a Romanis, quos a gladiatoribus confirmari senatus iusserat, per aliquantum temporis nequidquam oppugnata sunt. Itaque, quod per vim consequi non poterant, per insidias adipisci studebant, praesertim cum Balbinus neque militum neque Romanorum animos placare posset. Duces igitur fistulas, quibus militibus aqua suppeditabatur, praecidi iusserunt, ut veterani aquae egestate sitique confecti ad deditionem cogerentur. Illi au-

1) Daendl. p. 267.
2) Her. VII, 11.
3) Herod. VII, 11, 4.

tem saluti desperantes impetu subito facto Romanos in fugam verterunt, et cum tegulae de tectis in ipsos deicerentur, igne domibus illato magnam urbis partem combusserunt magnumque civium numerum interfecerunt[1]).

Quae cum Romae gererentur, Maximinus ingenti exercitu, quem quomodo disposuisset Herodianus tradidit[2]), Sirmio profectus Hemonam (Laibach) venit, quod oppidum nullo resistente cepit. Nam incolae templorum et domorum ianuis et omnibus alimentis concrematis aufugerant, ut exercitus omnibus ad victum necessariis careret. Maximinus autem, quod Italici metu cessissent gavisus, cum montium cacumina angustiaeque ab hostibus non tenerentur, nullo modo prohibitus est, quominus Alpibus superatis cum exercitu in planitiem descenderet, spe ductus, totam Italiam in suam potestatem facile se esse redacturum. Quae spes eum fefellit. Aquileienses enim, quorum urbs muris turribusque munita et omnibus ad vitam necessariis exstructa erat, eum non receperunt. Quare imperator, cuius multum intererat, ut quam celerrime Romam veniret, tribunum quendam Aquileiae natum cum legatis misit, qui Aquileiensibus veniam et oblivionem omnium quae fecissent pollicerentur persuaderentque, ut ipsum amicum susciperent. Paene Aquileienses igitur, quippe qui in mercatura et commercio versarentur[3]), a bello autem alieni essent, Maximini pollicitationibus ad pacem eligendam impulsi sunt[4]); Menophilus autem et Crispinus, viri consulares et quibus a senatu summa potestas tradita erat, sacra auspicata esse, Belenumque[5]), deum patrium

1) Herod. VII, 12, 7 τοσοῦτον δὲ μέρος τῆς πόλεως τὸ πῦρ ἐλυμήνατο, ὡς μηδεμίαν τῶν μεγίστων πόλεων ὁλόκληρον δύνασθαι τῷ μέρει ἐξισωθῆναι.
2) VIII, 1, 2—4.
3) Forbiger Handbuch der alten Geographie III, p. 414.
4) Cap. Max. 22, 1; Herod. VIII, 3.
5) De Beleno cf. Irmisch (ed. Her.) p 1137; Mommsen C. I. L. V, p. 84; 85.

victoriam ipsis promisisse nuntiantes eos prohibuerunt, quo minus hosti portas aperirent. Quo facto Maximinus cum legati infectis rebus reverterentur, ira ac furore commotus urbem expugnare, expugnatam vastam [1]) relinquere constituit [2]).

Cum ad urbem acceleraret — erat medio Maio mense — Sontio fluvio, qui nivibus liquefactis torrens maximus factus esset cuiusque pontem lapide quadrato exstructum Aquileienses deleverant, ne exercitum traiceret, impeditus est. Tanta autem erat vis fluvii, ut Germani aliquot more patrio [3]) fluvium equis transnare ausi cursu rapido auferrentur et absumerentur. Castris igitur in ripa locatis, nonullisque diebus incerto consilio interpositis, fabri cupas, quibus incolae utebantur, inter se devinxerunt, tum viminibus et humo superiniectis exercitus sine periculo flumen traiecit. Deinde milites multis vitibus arboribusque radicitus excisis urbem aggressi sunt [4]). Quod autem Maximinus speraverat, urbem primo impetu se capturum esse, non evenit. Aquileienses enim, quae sibi futura essent, haud ignorantes et omnem salutem in virtute positam rati omni virium contentione patriam defenderunt et ne senes quidem, mulieres liberi a pugna destiterunt. Dexippo quidem auctore mulieres

---

1) Herod. VIII, 4, 8 ἵνα . . . τὴν πόλιν μηλόβοτον καὶ ἔρημον τὴν χώραν καταλείπῃ.

2) Hanc oppugnationem Her. (VIII, 2—6) tam accurate describit, ut Daendliker (p. 270) eum per milites ipsos postea edoctum esse optimo iure suspicatus sit. At illa quae de natura loci, de situ urbis, de commercio afferuntur, ipsum vidisse puto. Velut pontem illum, qui militibus adventantibus iam deletus erat, tam perspicue (πυλίσι κατ' ὀλίγον αὐνανομέναις) describere non potuisset, nisi eum ipse vidisset.

3) Tac. hist. IV, 12; Cass. D. 60, 20.

4) Herod. VIII, 4, 5 ἀμπέλους μέντοι καὶ δένδρα πάντα ἐξέκοπτον, ἃ δὲ ἐνεπίμπρασαν, καὶ τὴν πρότερον τοῖς χωρίοις ὑπάρχουσαν ὥραν κατῄσχυνον.

crines suos ad faciendos arcuum nervos absciderunt [1]). Praeterea Aquileienses sulfur, picem bitumemque commiscuerunt, quae omnia incensa et diffusa militum corpora magnopere vulnerabant. Accedit, quod exercitus cum antea totam regionem foedasset et Romani omnes Italiae vias, calles [2]), portus obsessa tenerent, cum obsessio traheretur, omnibus rebus egebat. Cum denique totam Italiam, Orientemque contra Maximinum in armis esse, rumor esset, Aquileiensium animi in dies laetiores, demissiores militum fiebant. Quid, quod ipsi milites imperatori, cum ducum nonnullos propter ignaviam castigasset [3]), valde irascebantur? Postremo cum eos laborum obsidionis diuturnae et inexplicabilis pertaederet, nonnulli milites qui liberis, uxoribusque, quas in castris sub Albano monte positis habebant, timebant, Maximinum obtruncare constituerunt. Sub meridiem igitur, cum plerique in tabernaculis vel in stationibus essent, ad Maximini tentorium contenderunt et eum progredientem una cum filio et amicis occiderunt [4]); imperatoris filiique capita abscisa Aquileiensibus ostentaverunt, dein Romam miserunt [5]).

---

1) Cap Max. et Balb. 16, 5.

2) Herod. VIII, 5, 5.

3) Capitol., qui hic Herodianum accuratissime sequitur, verbum κολάζειν (VIII, 5, 3) verbo „interimere“ (Cap. M 23) interpretatus, quo sit in Maximinum animo rursus ostendit.

4) Aur. V., Orosius, Eutrop., Zon. Maximinum in pugna a Pupieno victum eoque auctore interfectum esse falso dicunt

5) Daendlikerum, una brevi notatione (vit. Max. 32, 5) subnixum, Maximinum sibi ipsum mortem adscivisse disputantem magnopere errasse puto. Nam primum quidem illa Capitolini verba ad Dexippum referenda esse suspicanti minime assentior, cum locis in vita Max. et Balb. c. 11, 2—4 et 15, 5 et 16, 5 comparatis Dexippum potius Maximini necem tradidisse verisimilius sit, deinde Herodianum de obsidione Aquileiae accuratissime certiorem factum fuisse Ddl. ipse ostendit; qui igitur fieri potuit, ut in fine describendo tantopere erraret? Quod Daendl. postremo mortem Maximini voluntariam defendendam esse putat „weil er dem Heldengeiste Maximins eher zu entsprechen scheint und auch Analogien

Plerique vero milites indignati erant et dolebant, quod imperator, quem ipsi creassent, interfectus esset, sed necessitate rerum et summa penuria coacti, quamvis inviti, ferebant et arma posuerunt [1]). Non prius tamen Aquileienses eos amicos receperunt et, quaecunque ad victum necessaria sunt, parabant, quam Gordianos divos, Maximum et Balbinum, quos senatus imperatores fecisset, agnoverunt [2]). Quo facto altera eaqua maxima pars exercitus a Maximo, qui quam celerrime Ravenna Aquileiam contenderat, in provincias et propria castra dimissa est. Ipse cum stipatoribus, iisque, qui sub Balbino militabant, et cum auxiliaribus Germanis Roman profectus est. Balbinus autem et Gordianus ei occurrerunt, quos omnes senatus populusque Romanus miro quanto gaudio laetisque acclamationibus quasi triumphantes suscepit.

Senatus autem vincere sciebat, victoria uti nesciebat. Ad tantam enim arrogantiam et superbiam provectus est, ut publice Maximino mortuo militibusque maledicere non vereretur. Nam in senatu ita dictum [3]) est: „sapienter electi principes sic agunt, per imperitos electi principes sic pereunt.“ Deinde alio loco [4]): „Maximini nomen olim erasum nunc animis eradendum; hostis publici caput in profluentem abiciatur, corpus eius nemo sepeliat; qui senatui mortem minatus est, ut merebatur occisus est. Qui senatui vincla minatus est, ut debebat interemptus est.“ Quid igitur mirum,

verwandter Persönlichkeiten hier zutreffen“ sub iudice lis est. Equidem fontes sequar, qui omnes ad unum Maximinum a militibus occisum esse dicunt. (Hertzberg (p. 550): „Der alte grimmige Despot stürzte sich mit wilder Entschlossenheit in sein eignes Schwert.“

1) Herod. VIII, 6, 1 ὁ δὲ στρατὸς πᾶς ὡς ἐπύθετο τὰ γενόμενα, ἔν τε ἀφασίᾳ ἦσαν καὶ οὐ πάνυ τι τῷ πραχθέντι πάντες ἠρέσκοντο. VIII, 7, 3. Cap. Max. et Balb. 12, 8

2) Herod. VIII, 6, 2—5; Cap. Max. 24, 2—4.

3) Cap. M. et B 13, 2.

4) Max. 26, 3.

milites tantae ignominiae insolitos magno odio contra imperatores a senatu delectos inflammatos esse. Itaque illis haud multo post, quamquam magno studio rem publicam administrabant, leges [1]) ferebant, denique optime saluti imperii consulebant, cum ludis Capitolinis celebrandis omnium animi occupati essent, misere contrucidatis, Gordianum III imperatorem fecerunt, qui consensu omnium partium Augustus est appellatus [2]). —

Quoniam igitur de Maximini genere, de rebus ab ipso factis, de seditionibus contra eum motis, de morte diximus, restat, ut, quantum fontium auxilio fieri potest, de natura et moribus eius breviter loquamur.

Scriptores, qui vitam et mores Maximini descripserunt, senatui Romano, cum ex acri illo certamine cum Maximino gesto superior decesisset, victumque proscripsisset, obtemperabant [3]). Herodianus igitur, qui eadem aetate, qua Maximinus erat, vitam eius ex senatus sententia alieno quidem animo, non tamen immodico descripsit. Capitolinus [4]) vero, quid de Maximino iudicaverit, quamquam iam saepe cognovimus, luculentissime tamen inde apparet, quod Herodianum, qui Maximino „in odium Alexandri plurimum faverit“ dignum esse dicit, qui vituperetur [5]). Itaque Capito-

1) Cap. M. et B. 13, 4; 17, 5.

2) Cap Gord. 22, 5 Gordianus adulescens, qui Caesar eatenus fuerat, et a militibus et populo et a senatu et ab omnibus gentibus ingenti amore, ingenti studio et gratia Augustus est appellatus.

3) Daendl. exc. II p. 308. Alle Römer waren dem barbarischen Kaiser feindlich gesinnt, besonders der Senat, der ihn nur mit wilden Thieren zusammenstellen konnte. Diesen Standpunkt verfochten natürlich in noch höherem Masse die Römischen Autoren auf Seiten des Senates.

4) Capit. vitam Maximin. d. composuit anno post Chr. n. CCCXXIII cf. Teuffel (Schwabe) p. 918.

5) Cap. Max. 13, 4. Iam Casaubonus in edit. scr. h. Aug. ad hunc locum adnotavit: suspicor tamen Herodiano fieri a Capitolino iniuriam: et quod in Alexandro non omnia laudet, in Maximino non

linus Maximini vitam et res gestas cum ira et studio descripsit ita quidem, ut ne fontes quidem accurate sequeretur, sed nonnulla, quae ei sunt infamiae adderet, quae honori praetermitteret. Cum autem ceteri rerum scriptores, qui de eo rettulerant, aut Herodiano aut Capitolino auctore usi sint, fieri non potest, quin idem atque illi de eo tradiderint. Accedit, quod multi scriptores christianae religioni addicti, Maximinum turpibus ferisque moribus ea de causa fuisse tradunt, quod eum nomen Christi profitentes vehementissime persecutum esse existimabant [1]). Quae cum ita sint — si exceperis, quod Capitolinus eum saepe iustum [2]), Cedrenus prudentem fuisse breviter dicunt, — laudes Maximini apud nullum scriptorem invenies. Itaque quamquam inquirere non possumus, quatenus laude dignus fuerit, tamen utrum omnia illa opprobria in eum facta vera sint, necne diiudicari potest.

Atque primum quidem barbarus rudis, immanis, omnis humanitatis expers fuisse traditur. Sed, quamquam pro certo negari non potest, Maximinum humili et vulgari loco natum esse, tamen mihi quidem, quod iam supra demonstrare conatus sum, provincialium nobilium more inter stipatores imperatoris prima stipendia meritus esse videtur. Utcunque res se habet, tanta usus est benevolentia et familiaritate omnium imperatorum, in quorum exercitu militabat, ut eum hominem agrestem et ab omni politiore elegentia abhorrentem fuisse vix credam. Quod Septimius Severus amplissimos ei honores habuit, quod ipse recusavit, ne Macrino, qui Caracallam imperatorem interfici iussisset, stipendia faceret, quod denique Elagabalum propter verba illa obscena [1]), quibus eum allocutus erat, tantopere contempsit, ut illum, quamquam militandi causa adierat tribunatumque ab eo acceperat, per totum imperii triennium ne salutaret quidem, nonne, quae dixi, confirmant? Quid, quod Alexander Severus, quem mitissimis et suavissimis moribus fuisse scriptores consentiunt, eum „Maximine mi carissime atque amantissime“ allocutus est, quod cum tirones ei traderet: „ad tuos, inquit, mores, ad tuam virtutem, ad tuum laborem eos fac militiam condiscere, ut mihi multos Maximinos rei publicae optabiles solus efficias? [2]) Omitto, quod Alexander laeto animo senatui nuntiavit, Maximinum ad causam suam se adiunxisse, quod eum in ordinem senatorium recepit, ad cenam vocavit, amplissimis honoribus auxit Neque si Maximini mores et naturam diiudicamus, parvi aestimandum est, quod viris honore insignibus assurgebat, neque unquam genua vel pedes osculari passus est [3]). At dicat quispiam, haec nullius momenti esse. Verum hominum ingenia ex levissima quaque re perspiciuntur. Praeterea, si quidem ex filii eruditione animum et ingenium patris licet cognoscere, humanitatis non plane expers fuit, cum nondum imperator factus filium viris doctissimis traderet, qui eum litteris Latinis et Graecis, iuris scientia, rhetorum arte instituerent [4]).

---

omnia vituperet, libertate sua et recto iudicio usum potius, quam vel odio vel gratia fuisse corruptum. Daendl. p. 281 de Herodiano ita dicit: „Er ist hier (in den beiden letzten Büchern) für die richtige Beurtheilung des von den Römern so verachteten und allgemein verkannten Kaisers Maximin sowie andrerseits der von den Römern zu hoch verehrten Gordiane, der Senatskaiser Maximus und Balbinus ganz unentbehrlich.“

1) Nostrum non est, de hac re disserere, praesertim cum F. Goerres Maximinum eos non persecutum esse luculentissime ostenderit: Kritische Untersuchungen über die Christenverfolgung des römischen Kaisers Maximin I des Thraziers (Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie herausg. von Ad. Hilgenfeld 19. Jahrg. 4. H. Lpz. 1876.) Realencyclopädie der christl. Alterth. herausg. von Kraus Freiburg 1880; s. v. Christenverfolgungen p. 230.

2) Max. 2, 2; Ced (ed. Bonn.) p. 450.

1) Cap. Max. 4, 7.

2) Cap. Max. 5, 6—8.

3) Cap Max. 28.

4) Cap. Max. 27, 3—6.

Deinde, quonam loco Maximinus fuerit, cum eo intellegitur, quod parens Maximo filio „libros Homericos omnes purpureos dedit aureis litteris scriptos“ [1]) tum eo, quod quin Alexander Severus sororem suam Theocliam Maximo in matrimonium daturus fuerit, nisi Maximinus „aliquid barbarum in se continuisset“, non est dubium [2]). Quam Theocliam quamquam in matrimonium non duxit, desponsata tamen ei erat Junia Fadilla, quae erat proneptis Antonini [3]).

Quibus rebus commoveor, ut scriptores, qui tam horridis et asperis moribus eum fuisse dicant, sive scientes sive inscios falsa referre iudicem. Sequitur altera imperatoris vituperatio: quod insatiabili crudelitate et saevitia fuerit [4]).

Herodiano quidem auctore immanitate imperium constabiliendum ratus omnes Alexandri amicos et ministros e medio sustulit. Levissimis enim calumniis eum temere fidem habuisse, nulla aut aetatis aut dignitatis ratione adhibita, viros et consulares et triumphales ad se in Pannoniam abduci iussisse, abductos vel exsilio vel morte punisse [5]). Quin etiam Capitolinus in describenda eius crudelitate „alios ab eo in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris obiectos, alios denique fustibus elisos“ esse narrat [6]).

Quamquam igitur dubitare non possumus, quin quae tradunt illi, non plane a veritate abhorreant, singulis tamen rebus diffidamus necesse est, praesertim cum, ut omittamus Capitolinum, etiam Herodianum his in rebus enarrandis interdum modum excessisse inde intellegatur, quod e con-

1) Cap. M. 30, 4.
2) Cap. M. 29, 2.
3) C. M. 27, 6.
4) C. M. 8, 5 tam crudelis fuit, ut illum alii Cyclopem, alii Busirem, alii Scirona, nonnulli Falarem, multi Tyfona vel Gygam vocarent. 9, 2 neque enim fuit crudelius animal in terris.
5) Herod. VII, 1; 3;
6) Cap. M. 8, 7.

trario Alexandrum Severum nunquam caedem fecisse falso tradidit [1]).

Deinde haec omnia scriptores ita in universum dicunt, ut quattuor tantum a Maximino interfectos nominatim afferant: Alexandrum Severum, Mamaeam, Alexandri matrem, ipsius uxorem, Macedonium [2]). At Alexandrum Severum matremque eius a Maximino occisos non esse iam supra demonstravi, neque minus eum uxoris suae caedis auctorem non fuisse certis argumentis comprobari potest, praesertim cum nummi eam divam consecratamque exhibeant. Macedonii denique illius, qui T. Quartinum amicum necaverat, caedes, nonne honori potius quam dedecori Maximino ducenda est?

Itaque, quamquam negare non possumus, a Maximino multos Alexandri amicos interfectos esse, tamen scriptores in crudelitate eius describenda odio et ira ducti modum non servaverunt. Atque primum quidem Maximinus quoscunque occidit, non voluptate interficiendi, quod Capitolinum [3]) secutus putares, sed quia contra ipsum coniurationem fecissent, occidi iussit; deinde eos non punivit nisi causa cognita, quoniam alios extremo supplicio affecit, alios in exsilium dimisit.

Postremo non desunt, qui Maximinum vehementissime vituperent, quod avaritia motus templa spoliaverit, deorum simulacra et si quid esset ornamentum conflaverit, omnes denique pecunias publicas in suam rem converterit [4]). Quorum criminum, quamquam omnium quorum argutus est, verissima esse videntur, gravitas eo tamen minuitur, quod Maximinum per tres fere annos bella gessisse accepimus, ad quae bene gerenda divitias maxime necessarias esse, nemo est, qui neget.

1) Herod. VI, 1, 7; Ddl. p. 206.
2) Syncellus (ed. Bonn.) I p. 680 οὗτος τύραννός τις καὶ ἀγριώτατος ἦν, ὡς καὶ τὴν ἰδίαν γαμετὴν ἀνελεῖν. Zonaras XII, 16. pag. 124,28.
3) C. Max. 10, 6.
4) Herod. VII, 3, 5 μετῆλθεν ἐπὶ τὰ δημόσια καὶ εἴ τινα ἦν χρήματα πολιτικὰ ἐς εὐδηνίας ἢ νομὰς τῶν δημοτῶν ἀθροιζόμενα. . .

Quodsi quae de Maximini vita et moribus et ipsi accepimus et, quae apud scriptores relata legimus, inquirentes animo reputamus, facere non possumus, quin imperatorem fortasse nulla alia nisi bellica laude dignum esse iudicemus. Praeterea autem, si vera fateri volumus, censeamus necesse est, in hunc imperatorem, qui, cum militum solum consensu imperator factus esset et non solum in bello gerendo, sed etiam in re publica administranda strenuam adhiberet disciplinam [1]), senatui Romano summum in odium venire debebat, a scriptoribus permulta crimina et invidiae plena falso collata esse.

1) Herod. VII, 8, 7 εἰ δὲ καὶ τὰ τῆς συγκλήτου etc. Cap. Max. 8, 7 cuius exemplo civilia etiam corrigere voluit.

III.

Quaestiones chronologicae.

Quamquam inter omnes fere constat, Maximinum ab anno p. Chr. n. CCXXXV ad annum CCXXXVIII imperasse, tamen scriptores et veteres et recentiores menses diesque computantes, quibus Maximinus imperator factus, quibus mortuus sit, quando Gordiani imperium nacti sint, quamdiu tenuerint, magnopere inter se dissentiunt. At editione chronographi, qui vocatur, a Mommsenio facta [1]), cui maximam fidem habendam esse vir ille doctissimus iudicat, rationem temporum ad certiorem finem revocari posse ratus denuo in has res inquirere apud animum constitui.

Quod ut consequamur, a certo initio incipiamus necesse est.

Elagabalus imperator factus est die XVI mensis Mai anno CCXVIII Macrino nondum mortuo. Quod quamquam constat, initium tamen illius imperii Cassius Dio, [2]) ut ipse dicit, ex proelio die VIII mensis Junii eiusdem anni commisso ducit, quo die Elagabalus Macrino devicto et mortuo imperator renuntiatus est. Itaque Cassius Dio, cum ei imperii tribuerit annos III menses IX dies IV, finem imperii die XI mensis

1) Abhandl. der königl. sächs. Gesellsch. d. Wissenschaft hist.-phil. Klasse I, 1850 p. 599: Das von ihm copierte, höchst genaue Kaiserverzeichniss mit Angabe der Regierungszeit ist sonst nirgends erhalten etc.

2) C. D. 78, 31, 4; 78, 39, 1; 79, 3, 3.

Martii anni CCXXII fuisse censet. Quod ceteri fontes[1]), exceptis Cedreno, Zonara, Glyca, qui Dionem secuti sunt, Elagabalum quattuor annos regnasse dicunt, totum regnandi tempus uno numero complectuntur. Sed secundum chronographum[2]) Elagabalus regnavit annos VI, menses VIII, dies XVIII. Itaque non dubitamus, quin hoc loco error librarii statuendus sit, nescio an ita ortus, ut numerus VI ex numero III inclinantibus litteris primis perperam scriberetur, praesertim cum in eundem errorem in describendo Neronis imperio librarium incidisse appareat[3]).

Qua emendatione subnixi, si Elagabali imperium, quod fieri debet, a primis initiis, non ex proelio illo computaverimus, eum usque ad diem secundum mensis Februarii imperasse inveniemus, quod tempus Dionis computationi praeferendum videtur. Atque primum quidem Alexandrum, qui eum secutus est, die VI mensis Mart. anni CCXXII iam imperasse Lampridius docet (v. Al. c. 6, 2). At dicat quispiam: apud Lampridium de anno sequenti sermo est. At Alexandro cognomen Severo postea datum est, quam ea facta sunt, quae hoc capite narrantur; quod cognomen cum nummis iam anno CCXXII cusis circumscriptum sit[4]), indicare videtur initio mensis Mart. anni CCXXII eum imperatorem iam fuisse. Deinde ex iis quoque, quae Lampridius alio loco[5]) narravit, efficitur, Elagabalum non multo post consulatum cum Alexandro Kal. Jan. anni CCXXII initum mortuum esse. Postremo autem accedit, quod Clinton, temporum computationis peritissimus ille vir, lege Alexandri a. d. III Non. Febr. eiusdem anni lata adductus est, ut

1) Sync. (ed. B.) I p. 673. Chron. Pasch. I p. 498 Euseb. h. eccl. VI, 21; Chron. ad ann. 2239 Eutrop. VIII, 22.

2) l. c. p. 645.

3) Illo enim loco numerus XIV pro numero XIII scriptus est.

4) Eckhel VII num. Alexandri.

5) v. Elag. c. 15—18.

Dionis notatione temporum emendata[1]) idem Alexandri imperii initium invenerit, ad quod nos supra plane alia ratione adhibita pervenimus.

Ut tandem, quonam die Maximinus summam rerum susceperit, computare possimus, diem inquiramus necesse est, quo Alexander Severus e vita excesserit.

Cum Alexandrum Kal. Octobr. (anni CCV)[2]) natum esse iam in veteribus fastis[3]) scriptum inveniamus, facile quo die Alexander obisset invenire possemus, si Lampridius (c. 60) Alexandrum annos XXIX menses III dies VII vixisse recte dixisset, quem errasse iam Pagi[4]) vidit. Itaque ea solum diiudicanda sunt, quae in fontibus de imperio Alexandri afferuntur.

Zonaras[5]) Alexandro decem annos, chronographus annos XIII menses VIII dies IX, Cedrenus[6]) et Glycas[7]) annos XIII menses VIII tribuentes, veritate carent, alter Alexandrum parum, alteri nimis multum tempus imperasse iudicantes. Plurimi autem fontes eum post regnum tredecim fere annorum diem supremum obiisse docent. In chronographia vero anonymi illius, quam Hippolyto a Porto debere Ducange ostendit[8]), Alexandrum imperasse annos XIII, dies IX invenimus. Quam Maximini tempore scriptam esse Mommsen cum demonstraverit[9]), dubitare non possumus,

1) Clinton (Fasti Romani ad h. a.) pro Dionis verbis: ἔτεσι τρίσι καὶ μησὶν ἐννέα ἡμέραις τε τέσσαρσι ἐν αἷς ἦρξεν scribendum esse censet: ἔτεσι τρίσι καὶ μησὶν ἑπτὰ ἡμέραις τε τέσσαρσι καὶ εἴκοσι.

2) Clinton p. 248.

3) Onuphrius Doctrina temporum p. 276. Mommsen l. c.

4) l. c. I, 216.

5) Zonar. (Dind.) pag. 123, 25.

6) p. 450.

7) p. 453.

8) praef. ad Chr. Pasch. II, p. 20. Mommsen l. c. p. 595; Pertz: Archiv VIII p. 254 eam Julio Africano tribuit.

9) l. c. p. 588.

quin ei Alexandri potissimum tempus haud ignotum fuerit. Deinde Lampridius eandem attulit notationem, cum dicit [1]: imperavit annis XIII diebus IX, Eutropius autem uno tantum die ab illis differt [2]. Praeterea Aurelius Victor, Hieronymus, Orosius, Chron. Paschalis auctor, Syncellus, alii, qui rotundo, ut ita dicam, numero imperii tempus complectuntur, regnum tredecim annorum ei attribuentes multo magis Hippolyto, Lampridio, Eutropio assentiri videntur, quam chronographo ceterisque, quos supra nominavimus, scriptoribus [3]. Unus Herodianus, Alexandrum post regnum quattuordecim annorum obisse duobus [4]) locis ait, quamquam e tertio loco [5]), id eum significare apparet, Alexandrum anni decimi quarti tamen initium fecisse.

Quae cum ita sint, Maximinus die X mensis Febr. Alexandro mortuo imperator factus esse nobis videtur.

Quamdiu imperio Romanorum praefuerit, vel quando interfectus sit, apud nullum scriptorem ad diem invenitur, cum plurimi, quemadmodum solent, per triennium eum principatum tenuisse breviter dicant [6]). Inscriptiones autem vel nummos (in quibus trib. pot. IV vel L Δ inveniatur) [7]) respicientibus eum post annum quartum initum obisse apparet. Idem colligi potest ex Herodiani historia, quo auctore sub finem tertii regni anni seditiones in Africa provincia

1) v. Al. c. 60.

2) Eutr. VIII, 23 Pagi I, 216.

3) Ut rem exemplo demonstremus scriptor Chron. Pasch. (ed. B. I, p. 433) Claudii imperium, qui secundum chronographum annos XIII m. VIII d. XXVII imperavit, omnino annos XIV durasse breviter attulit.

4) VI, 9; VII, 1.

5) VI, 1, 7 ἐς τεσσαρεσκαιδέκατον γοῦν ἐλάσας τῆς βασιλείας ἔτος.

6) Euseb. h. eccl. VI, 28; Chron. ad h. a., Chron. Pasch. I p. 500; Aur. V. ep. XXV; Cap. M. et B. 15; Eutr. IX, 1; Oros. VII, 19. Sync. I, p. 680.

7) Eckh. IV, p. 87.

exortae sunt [1]). Quod apud Cedrenum, Zonaram, Glycamque Maximini imperium per sex annos fuisse scriptum est, explicari non potest, nisi errore librariorum, litteram ϛ cum γ commutantium. Qua in difficultate iterum chronographia, quam supra laudavimus, adiuvamur, in qua hoc certum continetur testimonium: Maximinus imperavit annos III menses IV dies II. Ergo Maximinus interfectus est die XI mensis Iunii [2]).

Itaque, quoniam Maximini caede obsidionis Aquileiae finis factus est, quaeritur, utrum tempus obsidionis cum die mortis Maximini coniungi possit, necne.

Milites in Maximinum irati facti sunt, quia, cum obsidio traheretur, omnibus rebus egebant, quae ad vitam sustentandam maxime necessaria erant. Qua penuria rerum exercitus non laborasset, nisi milites brevi ante quam obsidionem incepissent, arbores feraces et vites exscidissent agrosque vastassent [3]), quod mihi indicare videtur, urbem eo tempore coeptam esse obsideri, cum iam frugum semina germinare inceperunt. Huc accedit, quod exercitus cum Aquileiam peteret, Sontium fluvium, qui ex nivibus montium crevisset, transire non potuit.

Itaque Maximinus urbem medio Maio mense obsidere coepisse et per triginta fere dies eam obsedisse videtur, quod tempus optime cum eo congruit, quod de hac re apud Herodianum legimus, narrantem, militum animos et propter obsidionem diuturnam et propter imbres et solem, quae perpeti debebant, magis magisque in Maximinum infestiores factos esse. Atque primum quidem obsidionem re vera haud brevem fuisse [4]), eo licet intellegi, quod milites Romani obsidione omissa rebus vel maxime necessariis ab Aquileiensi-

1) Herod. VII, 4, 1 συμπληρουμένης αὐτῷ τριετοῦς βασιλείας.

2) Eckh. VII p. 295 (medio Maio) Clint. ad ann. 238 (initio Mai).

3) Herod. VIII, 4, 5; VIII, 5, 3.

4) Clinton eam brevem fuisse putat (After some time spent in the siege of Aquileia.)

bus exstructi sunt, deinde ea de causa, quod Maximus imperator obsidionis tempore e Germania auxiliares collegerat [1]), Milites autem Maximino ad id tempus fidissimos brevissimae oppugnationis laboribus adductos esse, ut imperatorem trucidarent, quis est qui credat? [2])

Neque a chronologia, quam proposuimus, alienum est tempus, per quod Gordiani in Africa imperatores fuerunt.

Itaque primum quidem, quamdiu Gordiani imperaverint, inquirendum est. Quamquam frustra operam insumas, ut Herodiani in libris certum chronologiae testimonium de Gordianorum I et II imperio invenias [3]), tamen ex iis, quae affert, licet concludi, imperium eorum fuisse brevissimum. Is enim Gordianum I postquam seditione Thysdri exorta imperator factus esset, Carthaginem profectum et proximis diebus prope urbem a Capeliani exercitu clade affectum mortuum esse tradit [4])

Quod praeterea Herodianus de Gordiano a senatu populoque Romano rite pro imperatore habito dicit [5]): *ἐν εἰκόνι βασιλείας τελευτήσας*, satis affirmare videtur, non aliquantum temporis eum imperasse. Deinde Herodiano [6]) et Capitolino auctoribus nuntius seditionis in Africa exortae Maximino Sirmium in hiberna affertur. Ut continuatio seriesque rerum docent, quinque diebus interpositis castra moveri iussit, quo facto iter in Italiam vertit. Sed priusquam Hemonam pervenit, Gordianos proelio devictos mortuos esse comperit [7]).

1) C. M. 24, 5—7.

2) Herod. VIII, 5, 8 ἔδοξε τοῖς στρατιώταις . . . φονεῦσαι τὸν Μαξιμῖνον ὡς παύσαιντο μὲν χρονιου καὶ ἀπεράντου πολιορκίας

3) Herodianum rationem temporum neglexisse docent: F. A. Wolf l. c. p. XLVII; v. Poblocki: de Her. vita, ingenio, scriptis; Monast 1864. Sievers Philol. 31 p. 645; 665.

4) Herod. VII, 6; 9

5) VII, 9, 10.

6) Herod. VII, 2, 8; Cap. M. 13; 17.

7) Herod. VII, 8, 1; 8, 3; 8, 9.

Cum autem inter Sirmium et Hemonam spatium intersit milium passuum circiter ducentorum quadraginta, (Brit.) [1]) Gordianos per id solum tempus principes fuisse apparet, quod Maximino opus erat, ut Sirmio Hemonam proficisceretur quinque diebus additis. Exstant praeterea scriptores res ab imperatoribus Romanorum gestas describentes, qui imperium Gordiani, quasi nunquam fuerit, memoriae non tradiderint [2]). Eutropius electionis Gordiani ut rei minoris tantum momenti mentionem facit. Cuius rei causam nullam aliam esse puto, nisi quod scriptoribus illis operae pretium esse non videbatur, imperium illud brevissimum afferre. Capitolinus vero Gordianum una cum filio imperasse testatur [3]), ut ipsius verbis utar „anno uno mensibus sex“

Quod testimonium falsum esse vel inde apparet, quod nullus Gordianorum nummus existit, cui circumscriptum sit trib. pot. II. Itaque iam Pagi [4]) legendum esse putavit imperaverunt mensibus tribus. Casaubonus [5]), Onuphrium secutus, „uno mense diebus sex“ legi mavult, Gruterus emendationem „mensibus sex“ praefert. Hermann Peter denique in editione recentissima verba inserere omnino dubitavit [6]). Recte quidem fecit; nam verba illa magis dubia sunt, quam quibus nitamur. Ad certum autem finem huius quaestionis, quot tandem dies Gordiani imperaverint, pervenire non possumus, nisi chronographia illa Romana, ubi de Gordianis legimus: „Duo Gordiani imperaverunt dies XX. excesserunt Africae.“

1) Clinton ad h. l.

2) Hieron, Oros. Sync., Chron. Pasch. alii.

3) Cap. Gord. 16.

4) l. c. p. 220.

5) In editione scr. h. Aug. ad h. l. Idem fere senserunt Tillemont nota IV p. 485 (environ six semaines) Eckh. VII p. 295 Clint. ad ann. 238; Cohen IV, p. 107 (environ 45 jours.)

6) II p. 39.

Chronographum autem non unum solum fuisse, qui regnum tam breve Gordianis tribuerit, ea quae sequuntur demonstrant. Zonaras enim, quamquam Gordianum laqueo sese suspendisse paucis verbis significavit, eum cursu maritimo periculorum pleno ex Africa in Italiam provectum Romae viginti duobus diebus post morbo absumptum esse tradit, quibus in rebus enarrandis verbis usus est hisce [1]): *τὸν δὲ Γορδιανὸν τῆς Ῥώμης ἐπιβεβηκότα νοσῆσαι, τὸ μὲν ὅτι ὑπέργηρως ἦν, ἑβδομήκοντα γὰρ καὶ ἐννέα ἐβίω ἐνιαυτοὺς, τὸ δ᾽ ὅτι χρονοτριβήσας ἐν τῇ θαλάσσῃ κατὰ τὸν πλοῦν πάνυ τεταλαιπώρητο, καὶ ἐκ τῆς νόσου ταύτης ἐκλελοιπέναι μόνας εἴκοσι καὶ δύο ἡμέρας ἐν ταύτῃ διαγαγόντα.*

Quibus verbis error librarii inesse mihi videtur. Atque primum quidem adductus sum, ut locum illum, quem supra diximus, non recte esse traditum sentirem, verbo, quod est *μόνας*. Nam cum dubium non sit, quin verba illa *ἐν ταύτῃ* spectent ad *ἐκ νόσου ταύτης*, dicit scriptor, Gordianum per viginti duos tantum dies morbo affectum mortuum esse. Itaque, cum Gordianum, quo tempore vita excessit, octoginta fere annos natum fuisse inter omnes, qui quidem de hac re egerint, constet, accedatque, quod non multo antea mare tempestatibus agitatum traiecit, nemo certe est, cui mirum non videatur, quod scriptor senem adeo aetate provectum viginti duos tantum dies aegrotasse dicit.

Deinde hic locus propterea mihi corruptus videtur, quod Zonaras de omnibus imperatoribus, quamdiu imperaverint, dicere solet [2]). Cur consuetudinem, qua in ceterorum imperatorum rebus describendis usus est, hic neglexerit, invenire nullo modo possum.

Quibus rebus eo commotus sum, ut verba *ἐν ταύτῃ* emendanda et in *ἐν τῇ ἀρχῇ* mutanda esse existimem [3]), quam

1) Zon. (l. c.) p. 127, 24.

2) Velut de Macrino (116, 11) Elagab. (119, 23) Alex. Sev. (123 25) Maximino (126, 18) Max. et Balb. (127, 11) Gord. III (128, 17).

3) cfr. interpretationem in ed. Bonn. p. 579.

emendationem facillimam esse intelleget, quicunque litterarum, de quibus agitur, notas paulo accuratius spectaverit.

Neque solum illis de causis, quas iam attuli, emendationem nostram verisimilem esse apparet, verum etiam eo, quod, quae sequuntur verba, loco ita sanato accommodatissima sunt. Pergit enim Zonaras: *καὶ σχεῖν ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ διάδοχον τὸν οἰκεῖον υἱὸν Γορδιανὸν κἀκεῖνον καλούμενον καὶ ὁμωνομοῦντα τῷ οἰκείῳ πατρὶ*, hoc loco verbo *βασιλεία* non verbo *ἀρχὴ* sicut paulo ante usus.

Quod quamquam constat, causa non tamen composita esse videtur, etsi concedendum est, emendationem nostram magnam probabilitatem habere. Nam haud immerito rerum scriptor dicere potest, imperatorem post regnum viginti duorum tantum dierum mortuum esse.

Ut autem res plane dilucida sit omnibusque dubiis vacet, facere non possumus, quin Zonaram quoque idem de Gordiani imperio sensisse demonstremus.

Zonaras enim de regno Maximi et Balbini: *ὧν ὁ μὲν Μάξιμος*, inquit, *ἐτῶν ἦν ἑβδομήκοντα καὶ τεσσάρων, ὁ δὲ Ἀλβῖνος ἑξήκοντα. καὶ ἐβασίλευσαν κατὰ τινὰς μὲν ἡμέρας δύο καὶ εἴκοσι, καθ᾽ ἑτέρους δὲ οὐχ ὅλους μῆνας τρεῖς.*

Omnium autem scriptorum, qui de Maximo et Balbino loquuntur, verba docent, hos imperatores multo plus quam viginti duos dies imperasse, et chronographus ille, Maximum et Balbinum post regnum trium mensium occisos esse refert [1]); itaque Zonaras, quae ad Gordianum et ad Maximum Balbinumque pertineant, mirum quantum permiscuisse videtur [2]). Consentaneum igitur mihi videtur esse, eum in fontibus invenisse, inter Gordiani electionem et mortem circa viginti dumtaxat dierum spatium interfuisse.

1) Pupienus et Balbinus imperarunt dies XCIX; Chron. Pasch. I p. 501.

2) In eundem errorem Glycas (p. 453) incidit, qui nulla Gordiani imperii mentione facta Maximum et Balbinum viginti duos dies imperasse tradit.

Quoniam igitur, quamdiu imperaverint Gordiani diximus, nunc, quando imperaverint videamus.

Ac seditionis quidem Africanae veterum pars annum CCXXXVI, altera CCXXXVII proposuerunt [1]. Sed et hos et illos errare iam Eckhel eo ostendit, quod primus nummum animadvertit, in quo Maximino tribuniciam potestatem quartam senatus consulto delatam esse scriptum est, unde sequatur necesse est, ut seditio Africana exorta sit, postquam Maximinus munus tribuniciae potestatis quartum susceperit, id est, anno CCXXXVIII [2].

In mensibus autem diebusque Gordianorum imperii computandis omnes fere inter se dissentiunt. Eckhel et Clinton [3] ea, quae apud Capitolinum de hac re inveniuntur [4], merito neglexerunt; alter enim Gordianos imperium inisse fortasse initio Martii, alter mense Februario proposuit.

Sed videamus, num computatio nostra iis innixa, quae apud chronographum invenimus, cum alterutrius ratione consentiat. Hemonae Maximinus, quod supra demonstravimus, de morte Gordianorum certior factus est, qua cognita Italiam expugnaturus contra Aquileiam bellum paravit, quae urbs sexaginta dumtaxat milia passuum (Brit.) ab Hemona abest [5]. Deinde, cum iam ostenderimus, medio Maio mense Aquileiam coeptam esse obsideri, Gordianos si proficiscendi et renuntiandi et imperandi tempus consideraverimus, fere initio Aprilis mensis imperatores factos esse inveniemus. Quod quamquam nullius scriptoris testimonio affirmatur, tamen consequimur emendatione hac:

Capitolinus enim, cum de Gordiani III vita agit et rebus gestis capite 23, 2, his utitur verbis: „sed indicium

1) Pagi p. 217; Tillemont p. 484; Gibbon (Sporschil) p. 138.
2) Eckhel VII, 293; Cohen IV p. 97.
3) Fasti Rom. II p. 45.
4) Cap. Max. 16; M. et B. I, 1.
5) Clint. ad ann. 238.

non diu imperatri Gordiani hoc fuit, quod eclipsis solis facta est, ut nox crederetur, neque sine luminibus accensis quicquam agi posset.“ Simili modo Aurelius Victor [1] Gordianum I vix imperii potitum prodigiis repente exortis magno metu et terrore affectum esse tradit, quae prodigia ad solis eclipsim pertinuisse iam Pagi demonstravit [2]. Quod quamquam recte fecit, in hoc tamen erravit, quod eclipsim diei XII. m. Apr. anni CCXXXVII ad illa prodigia rettulit, quo tempore Gordianum I nondum imperium administrasse satis explanavimus. Sed die II m. Apr. anni CCXXXVIII iterum solis eclipsis facta est. Quae cum imperante Gordiano III, qui tum nondum Caesar esset, facta esse non possit, affirmare non dubito, Capitolini illud non tam ad initium imperii Gordiani III, quam Gordiani I referendum esse, quae sententia eo magis confirmatur, quod omen illud, quod postea factum esse apparet, potius de Gordiano sene, qui re vera uno mense nondum exacto de imperio deiectus est, quam de Gordiano adulescente fictum est, qui per annos quinque imperium tenuit. Quod nisi perperam suspicati sumus, computationis nostrae, quam supra fecimus et qua Gordiani initio m. Apr. summam rerum suscepisse invenimus, fidem magnopere auctam et confirmatam esse libenter concedes.

1) Aur. V. Caes. XXVI ibi cum avertendis prodigiis ... rem divinam solitis ageret etc.
2) l. c. p. 217.

Quaestionum chronologicarum summa est haec:

Elagabalus imperavit a. III m. VIII d. XVIII; occisus est die II m. Febr. a. CCXXII.

Alexander Severus imperavit a. XIII d. IX; occisus est die X m. Febr. a. CCXXXV.

Maximinus imperavit a. III m. IV d. II; occisus est die XI m. Jun. a. CCXXXVIII.

Gordiani I et II imperatores facti sunt d. II m. Apr. a. CCXXXVIII.

Uterque mortuus est XX vel XXII diebus post.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

DISSERTATIONE HISTORICA

DE

C. JULIO VERO MAXIMINO

ROMANORUN IMPERATORE

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XX. MENSIS JANUARII A. MDCCCLXXXIII

IN PUBLICO DEFENDET

JOSEPHUS LOEHRER

AQUENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

RENARDUS MUELLER, CAND. PHIL.

PETRUS SCHNEIDER, CAND. PHIL.

JOSEPHUS CUEPPERS, CAND. PHIL.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA KRICKIANA.

MDCCCLXXXIII.

THESES.

1) Capitolinus in vita Maximini describenda ab Herodiano potissimum pendet.

2) Daendlikero, qui Maximinum sibi ipsum mortem adscivisse putat, non assentior.

3) Eclipsis solis, quam Capitolinus (v. Gord. 23, 2) commemoravit, ad Gordianum I referenda est.

4) Pacem, quam vocant Cimonis, non a Cimone, sed a Callia factam esse contendo.

5) Zonarae verba (Dindorf XII, 16, p. 127, 24) *ἐν ταύτῃ* ita emendanda esse mihi videntur, ut scribatur *ἐν τῇ ἀρχῇ*.

VITA.

Natus sum Eduardus Josephus Löhrer a. h. s. LX prid. Id. Mart. Aquisgrani patre Godofredo, matre Helena e gente Buschhausen, quos adhuc in vivis esse laetor. Fidem profiteor catholicam. Prima litterarum elementa me pater docuit, deinde gymnasium patriae adii, quod per novem fere annos frequentavi. Maturitatis testimonio ornatus vere a. h. s. LXXIX Tubingiam me contuli, studiis philologicis operam navaturus. Ibi per senos menses me docuerunt V. V. D. D. Flach, de Gutschmid, Herzog, Kugler, Rohde, Schwabe, de Pflugk-Harttung. Dein universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam petii, ubi per bis senos menses interfui scholis V. V. D. D. Bücheler, Leo, Maurenbrecher, Neuhaeuser, Ritter, Schäfer, Usener, Wilmans. Per quater deinde senos menses in hac alma litterarrm academia Monasteriensi me docuerunt V. V. D. D. Hagemann, Hüffer, Langen, Lindner, Niehues, Spicker, Stahl, Storck. Seminarii regii historici sodalis ordinarius, philologici extraordinarius fui per quater senos menses.

Omnibus his viris doctissimis, qui studia mea moderati sunt, gratias habeo quam maximas, semperque habebo.